

fit idoneus; sed qui velit ac possit ipsorum tum idolomaniam, tum vitæ spurcitiem tueri ac promovere; imò qui & ipsis, & Deo ipsorum Romano Antichristo, omnia libentissimè polliceatur, totum ipsis sese devoveat, juret, & ad omnem impietatem, utut ipsis visum fuerit, arctissimè devinciat, obstringatque, non sine etiam fidejussione ac juramento cognatorum. Quapropter, ut hac quoque in parte regnum Antichristi, quod verè est regnum tenebrarum, luce divinæ veritatis labefacteretur, conabor, Deo auxiliante, in hoc libello demonstrare, quòd *electio Episcoporum* non tantum ad omnes pios *Clericos* aut *Spirituales*, sed omni quoque jure ad *Laicos* spectet & pertineat. Probabo autem id primum ex Verbo Dei; deinde ex scriptis Patrum; tum ex Conciliis, *Legibus* Imperialibus, & *Decretis* Pontificiis, nec non ex ipsis *Historiis*, & multo usu longissimaque consuetudine.

Quod igitur totius ipsius Ecclesiæ, non verò paucorum quorundam sit, jus & potestas eligendi, veros ac sinceros Ministros Verbi ac Sacramentorum, sive sunt Sacerdotes, sive etiam Episcopi, abundè satis ostendit ex verbo Dei D. Martinus Lutherus (piæ memoriæ) in libello, cui titulum fecit, *De instituendis ministris ad Bohemos*. Item, ad Germanum quempiam, cujus inscriptio hæc est: *Das die Kirche Macht habe* &c. id est, *Quòd Ecclesia potestatem habeat eligendi & deponendi Ministros*; item in Genesi, Tomo latino 2. fol. 276. & in Genesi, tomo Germanico 2. fol. 242. Attamen & ego testimonia quædam veritatis illustrandæ gratia adscribam.

I. In confesso est, claves non soli Petro, neque tantum Apostolis, verùm toti Ecclesiæ Dei esse traditas. Quod quidem partim per se, ac ex ipsis verbis Domini, partim etiam ex Patrum & veterum interpretum scriptis, super dictum (*Tibi dabo claves regni cælorum*, Matth. 16.) est manifestum; siquidem ipsi hoc dictum intelligunt & interpretantur de tota Ecclesia, non de uno Petro. Sic enim scribit Augustinus super Ioanem tractatū 124. c. 21. *Sed, inquit, quando ei dictum est: Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit & solutum in cælis; universam significabat Ecclesiã, quæ in hoc seculo diversis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata est supra petram, unde & Petrus nomen accepit: Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra, &c.* Item: *Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro; id est, potestatem ligandi, solvendiq; peccata.* Idem de agone Christiani, cap. 31. *Nec eos audiamus, inquit, qui negant, Ecclesiam Dei omnia peccata dimittere.* Itaque miserum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cælorum; ipsi eas de manibus amiserunt. Quin & Dominus ipse paulo post, nempe Matth. 18. istud dictum de clavibus, transfert ad totam Ecclesiam, & omnes pios, & non ad Palam, aut solos Spirituales, cum inquit: *Si peccaverit in te frater tuus, abi & redargue eum solus ipse solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum; sin verò non audierit, adhibe tecum adhuc unum, aut duos, ut in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum.*

Quòd